

Mirabile sive miraculum A

Quicquid igitur mirabile fit in hoc mundo profecto minus est quam totus hic mundus, id est celum et terra et omnia que in eis sunt, qui certe Deus fecit, nam et omni miraculo quod fit per hominem maius miraculum est homo. Quamvis igitur miracula visibilium naturarum videndi assiduitate vilescunt, tamen ea cum sapienter intuemur inusitatissimis rarisque maiora sunt.

Augustinus libro 10. de civitate Dei.

Mirabile sive miraculum B

Miracula leguntur in populis ut credantur nec in populis tamen nisi credita legerentur. Hec autem ubicumque fiunt, vix a tota civitate ipsa sciuntur, vel a quocumque commanencium in loco. Nam plerumque fiunt ignorantibus ceteris, maxime si magna sit civitas et quando alibi aliisque narrantur, tanta ea commendat auctoritas ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus indiceretur.

Augustinus 22. de civitate Dei.

Mirabile sive miraculum C

Aliter magni faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali; magni per privatos contractus cum demonibus, boni christiani per publicam iusticiam, mali christiani per signa publice iusticie.

Augustinus libro 83. questionum.

Mirabile sive miraculum D

Ideo non omnibus sanctis ista miracula attribuuntur ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, estimantes in talibus factis esse maiora bona quam in operibus iusticie, quibus vita eterna comparatur.

Augustinus ibidem.

Mirabile sive miraculum E

Dicamus aliquid Deum posse, quod nos fateamur investigare non posse. In rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi est potencia facientis.

Augustinus.

Mirabile sive miraculum F

Nichil mirabilius in rebus humanis quam diligere inimicos.

Augustinus libro confessionum.

Mirabile sive miraculum G

Eunt omnes admirari alta montium et ingentes fluctus maris et latissimos lapsus fluminum et oceani ambitum et gyros siderum et relinquunt seipsos et mirantur. Nam et omni miraculo quod fit per hominem maius miraculum est homo.

Augustinus libro confessionum.

Mirabile sive miraculum H

Sicut non fuit Deo impossibile quas voluit instituere, sic ei non est impossibile in quicquid voverit quas instituit naturas mutare.

Augustinus libro 21. de civitate Dei.

Mirabile sive miraculum I

Operum Dei causa si lateat hominem non se obliviscatur esse hominem nec propterea Deo det insipientiam quia non bene capit eius sapientiam.

Augustinus de spiritu et littera.

Mirabile sive miraculum K

Prophetizare et virtutes facere et demonia eiicere interdum non est meriti qui operatur, sed vel invocatio Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel utilitatem eorum qui vident et audiunt.

Hieronymus super illud Matthei 7: Nonne in nomine tuo virtutes multas se.

Mirabile sive miraculum L

Caritatis et pietatis miracula amare que tanto securiora sunt quanto et occulta et de quibus apud Deum eo maior fit retribucio, quo apud homines minor est gloria.

Gregorius in homelia.

Mirabile sive miraculum M

Divina mirabilia semper debent considerari per studium et numquam discuti per intellectum.

Gregorius ibidem.

Mirabile sive miraculum N

Racionem de occulto Dei consilio querere nichil aliud est, quam contra eius consilium superbire.

Ibidem.

Mirabile sive miraculum O

Quattuor mirabiles imitatores fecit Deus: de piscatore primum ecclesie pastorem, de persecutore magistrum gentium et doctorem, de publicano primum ewangelistam, de latrone primum celicolam.

Chrysostomus super 1. Mattheum.

Mirabile sive miraculum P

Tria totus mundus mirabatur, Christum post mortem surrexisse, cum carne in celum ascendisse, et per duodecim apostolos piscatores totum mundum convertisse; huius autem quadruplex fuit causa, scilicet pecunie contemptus, glorie despectus, secularium occupacionum segregacio, et terribilium perpressio.

Ibidem.

Mirabile sive miraculum Q

Mirabilius est videre hominem convicia passum et non motum quam hominem vulneratum et percussum non cadentem.

Chrysostomus super Mattheum.

Mirabile sive miraculum R

Miracula in signum sunt non fidelibus sed infidelibus, quia signum fidelibus non est necessarium, qui iam crediderunt, sed infidelibus ut convertantur. Nam Paulus pro non credencium infidelitate patrem publi de infirmitate febrium virtutibus curat, infirmantem vero Timotheum fidelem non oracione sed medicinaliter temperare, ut noveris miracula pro incredulis non pro fidelibus fieri.

Isidorus libro 1. de summo bono.

Mirabile sive miraculum S

Res multis modis apparent mirabiles, aliquando ex magnitudine, aliquando ex parvitate, aliquando quia rare, aliquando quia pulchre; secundum magnitudinem attenditur quando res quelibet sui generis modum in quantitate excedit, sic miramur gigantem inter hominem, cetum inter pisces, grifonem inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes; secundum parvitatem considerantur quando res quelibet ceteris sui generis quantitate equari non potest, ut tinea et vermes et scinifes et alia similia que inter cetera quidem animalia vivunt, sed ceteris omnibus corporis exiguitate dispares sunt. Vide ergo quid magis mireris dentes apri vel tinee, alas grifi vel scinifis, caput equi vel locuste, crura elephantis vel culicis, leonem vel pulicem, tigridem vel testudinem. Ibi miraris magnitudinem, hoc miraris parvitatem; illis dedit oculos quos vix comprehendere potest oculus et in tam exiguis corporibus sic omnifaria iuvamenta nature sue congrua plenissime distribuit, ut nichil videas deesse in minimis earum omnium que natura formavit in magnis.

Hugo de operacionibus trium dierum.

Mirabile sive miraculum T

Miramur quare eciam crocodillus manducans inferiorem molam non movet et quomodo salamandra in igne illesa permanet, quis dedit ericio spinas et docuit eum ut se pomis turbine discussis involvat, quibus onustus incedens stridet quasi plastrum, et formica hyemis superventure prescia, gravis horea sua replet, aranea quoque de visceribus suis laqueos nectit, ut predam capiat, isti sunt testes sapiencie Dei.

Ibidem.

Mirabile sive miraculum U

Est adhuc aliud verum et evidens divine sapiencie argumentum, quod omne genus simile sibi procreat, et una species propagata, prime originis formam non immutat, non ovis vitulum, non vacca agnum, non cerva leporem, non leo vulpem, sed in sibi simile propaginem suam extendit. Aliud genus est fagus, aliud quercus et aliud unumquodque suam speciem habet, et unum quod sui generis servat similitudinem. Vide folium quomodo intrinsecus productis costulis huc et illuc intexitur, mira unum mira aliud, omne quod est unius generis unius invenies similitudinis, tot costulas in uno quot costulas in alio, talem formam in uno qualem in alio, omnis enim natura quasi cuiusdam intrinsecus dictantis preceptum accepit, nusquam terminos suos excedere presumit.

Ibidem.

Mirabile sive miraculum X

In facie vultuque nostro nullas duas in tot milibus hominum indiscretas effigies existere quod ars nulla in paucis numero prestat affectando.

Plinius libro 10. historie mundi.